

nihilominus in utraque servandus est juxta materiæ necessitatem vel probabilitatis gradum, quia, ut dixi, semper ibi miscetur conjectura de voluntate legislatoris. Neque contra hoc obstat illa ratio, quod judicium non reditur certius ex hoc quod sit vel non sit recursus ad superiorem. Hoc enim est verum de certitudine speculativa, non vero de certitudine practica. Nam cum potest consuli superior, cessat necessitas utendi judicio probabili de voluntate ejus, quod secus est quando est periculum in mora, et ideo tunc potest illud judicium probabile ad praxim applicari ex principiis certis, quod in necessitate uti possumus judicio probabili ad evitandum aliquod gravamen, vel ad convenientem observationem legum, ut in casu magis difficili et dubio explicabitur in puncto sequenti.

10. *In dubio non probabili ad superiorem recurrendum.* — Quarto, dicendum est de casu dubio in quo judicari non potest probabiliter an casus comprehendatur sub legis obligatione, necne. In quo sententia communis est recurrendum esse ad superiorem si fieri possit; vel, si non possit, servandam esse legem. Ita D. Thom. dicta q. 120, art. 1, ad 3, dicto art. 6, ad 2. Idem Conrad., Cajet., Medin. et Soto supra; Medin., Cod. de Pœnit., tract. de Jejun., cap. de His qui tenentur ad jejun. Quæ sententia per se evidens est in casu patiente moram ut consulatur princeps; nam si in casu tantum formidoloso et probabili hoc fieri debet, multo magis in casu dubio. Item tunc impossibile est operari cum conscientia certa practice, quia ex tali dubio nascitur practica dubitatio an tunc lex violetur necne, agendo contra verba ejus, et nullum est morale principium quo possit practice deponi illa conscientia dubia, inconsulto superiore, quando ille potest consuli: ergo nunquam licet cum illo dubio agere contra verba legis, quia operari cum conscientia practice dubia semper est malum. Denique tunc lex possidet suum jus, et in aliis melior est conditio possidentis: ergo.

11. *Prima opinio de casu urgente.* — *Secunda.* — Difficultas vero est an idem dicendum sit in casu urgente in quo superior consuli non potest. Multi indistincte dicunt etiam tunc non licere uti epikia, sed servandam esse legem et ejus verba. Ita Cajet. 1. 2, quæst. 96, a. 6, qui ita interpretatur D. Thomam ibi ad 2 indistincte loquentem. Idem Soto, dicto art. 8; Med., d. art. 6, ad fin., dist. 3; et alter Medin. supra, et omnes moderni, et Sanci., lib. 2 de Matrimon., disput. 41, n. 37. Ratio est, quia

impotentia consulendi principem non potest in eo casu dare certitudinem practicam, cum dubitans nec judicium probabile habeat de cessatione obligationis legis in illo casu. Item in casu dubio præsumptio est pro lege, quia verba ejus per se sufficiunt ad obligationem, unde ad minimum se habet tanquam possidens in casu dubio cujus melior est conditio: ergo. Contrarium nihilominus tenet Sylvester dicto verbo *Papa*, quæst. 16, dict. 2, in fine; cum enim dixisset in dubiis interpretationem legis pertinere ad superiores subdit: *Quod limita, si commode possit haberi, alias secus, ut cum in repentinis periculum est in mora.* Idem cum majori extensione habet verb. *dispensatio*, q. 4; sequitur Cordub., lib. 3, quæst. 13, ante regulam 1; Henriq., lib. 14 de Irregul., c. 3, n. 3, litter. X. Duci videntur ex illo vulgari principio quod necessitas caret lege; hoc enim allegat Sylvest. ex Gratian. in § *Sed notandum*, post cap. *Remissionem*, 1, quæst. 1, et habetur in cap. 2 de Observat. jejun.; illa autem videtur gravissima necessitas, cum res sit dubia et non detur locus consulendi superiorem; nam videtur nimis grave obligare hominem propter solum dubium, quando non est in potestate ejus dubium expellere. Item qui dubitat de lege vel de voto non obligatur quando non potest expellere dubium; ergo neque qui dubitat an hic et nunc lex obliget.

12. *Prior sententia cum moderamine approbatur.* — *Doctores primæ sententiæ exponuntur.* — Mihi prior sententia vera videtur, adhibito moderamine. Dico ergo, si dubium nascatur ex concurrentia legum quæ pro eodem tempore simul impleri non possunt, et homo dubitat quid facere debeat, tunc licite posse agere contra verba unius legis, implendo eam quam tunc, facta diligentia morali juxta personæ et temporis capacitatem, bona fide judicat esse graviolem et magis obligare. Quia ille homo non debet esse perplexus, nec necessario peccare, et faciendo quod in se est satisfacit uni legi et aliam non transgreditur. Et hunc casum absque ullo dubio non excludunt priores auctores, sed ut tritum et vulgare illum supponunt: unde loquuntur de casu in quo certo constat legem sine peccato impleri posse, et dubium est de obligatione. Et tunc certitudo practica fundatur in illo principio, quod in dubio satisfacit quis eligendo partem tutiorem: tunc etiam recte applicatur illud principium, quod necessitas caret lege. Deinde tunc non est epikia voluntaria, ut sic dicam, sed necessaria, quia in eo casu non solum potest quis

non servare legem positivam, sed etiam tenetur ut servet aliam naturalem quam reputat graviolem. Unde etiam recte potest in eo casu proferri judicium positivum, non solum probabile, sed etiam certum, in eo casu legem positivam non ligare, quanquam hæc certitudo magis sit practica quam speculativa.

13. *Doctores secundæ sententiæ quomodo intelligendi.* — At vero quando ex alia parte non est periculum peccati, et subdito constat posse sine peccato servare verba legis, nullo modo potest in casu dubio de obligatione agere contra legem, quia manifeste se exponeret periculo peccandi transgrediendo legem, de qua judicium probabile formare non potest quod cessaverit obligare, ut plane ostendunt rationes prioris opinionis. Et fortasse auctores secundo loco allegati non loquuntur de hoc dubio, sed de dubio formidinis, juxta dicta in præcedenti puncto. Nec tunc allegari potest necessitas sufficiens, quia illa non est necessitas vitandi aliud peccatum, ut supponitur: nulla autem alia potest esse sufficiens ad non servandam legem, nisi etiam sufficiens sit ad probabiliter judicandum legislatorem in tali necessitate vel non potuisse vel noluisse obligare; nam si tantum sufficit ad dubitandum, profecto et parva est necessitas, et major est necessitas servandi legem, vitando periculum peccati, et quasi considerando illam in possessione sua. Nec est simile quando dubitatur de tota lege an sit lata necne, quia tunc lex nondum possidet, sicut in simili dixi de voto., l. 4 de Vot., c. 5 et 6.

14. Atque ex his tandem responsum est ad secundam rationem dubitandi cap. 5 positam. Nam l. 1, c. de Legibus, intelligitur primo de interpretatione authentica quæ vim habeat obligandi, et necessitatem inducat ita intelligendi legem. Ita Bart. ibi, n. 8; et sentit Bald. in leg. *Cum de novo*, eodem. Secundo, etiam intelligitur de interpretatione in casu dubio in quo subditus non poterit restringere legem contra verba ejus, ut dictum est, et ita exponit Panorm., cap. 1 de Constitut., n. 14, et insinuat Bald. in leg. 2, c. de Legib., n. 2, et sumitur ex leg. *Cum de novo*, c. eodem, ubi id notat Cynus. Glossæ vero et auctores relati ibidem in tertia objectione ad verum sensum facile trahi possunt; nam prima Glossa loquitur quando ratio legis negative tantum cessat, et non contrarie; altera vero Glossa intelligenda est in casu dubio in quo non licet æquitatem sequi contra jus scriptum inconsulto principe, nisi ipsamet æquitas scripta sit, ut

dicitur in l. *Placuit*, c. de Judiciis, juxta vulgatam lectionem ejus. Et in eodem sensu videntur locuti auctores in eadem objectione allegati.

CAPUT IX.

UTRUM ALIQUANDO LEX TOTA PER SEIPSAM CESSET, CAUSA EJUS CESSANTE.

1. *Lex de se perpetua est, et pro communitate fertur.* — Cum lex sit de se perpetua et pro communitate fertur, manifestum est non posse cessare ex defectu causæ efficientis; non enim finitur per mortem ferentis vel successoris, ut ex dictis in lib. 1 constat, et consequenter nec per solam temporis successionem tollitur, quia indefinite constitui debet. Quod si aliquando potest ad certum tempus ferri, illud extraordinarium est, et tunc in suamet constitutione habet talis lex quasi annexam revocationem pro tali tempore, quæ pertinet ad alium modum ablationis legis infra tractandum. Præterea non cessat lex ex defectu eorum pro quibus fertur; nam communitas civitatis aut populi de se perpetua est; nam per continuam successionem conservatur, et licet civitas vel populus omnino deleri possit, id rarum est et non habet moralem considerationem. Igitur solum potest lex cessare per mutationem objecti, circa quod versatur, quæ (physice loquendo) potest multipliciter contingere; tamen in præsentis solum oportet considerare mutationem in materia legis, quoad rationem propriam ob quam sub obligationem legis constituitur; nam si illa perseverat, non cessabit lex ex illo capite, ac subinde simpliciter non cessabit nisi revocetur, quia non habet aliam causam mutabilem a qua in sua conservatione pendeat, ut declaratum est. Si autem in objecto sub ea ratione spectato fiat mutatio, undecumque illa mutatio proveniat, eadem est quæstio, an ex vi talis mutationis in materia legis desinat ipsa lex; idem enim est quærere an, cessante omnino et totaliter ratione vel fine legis, cesset etiam lex ita ut omnino extinguatur et de medio tollatur. Dico autem *cessante omnino et totaliter ratione legis*: quia jam hic non consideratur cessatio in uno, vel alio actu, nec alia similis mutatio partialis, quæ solum contingit in una occasione vel in aliqua parte materiæ legis pro aliquo tempore; nam de hac partiali mutatione satis dictum est in capite præcedenti; quamvis aliter possit in præsentis considerari partialis mutatio, vel

perpetua in aliqua notabili parte materiæ legis, vel temporalis in tota materia, de quibus in fine dicam.

2. *Cessatio potest esse contraria aut negativa.* — Altera vero distinctio tradita capite præcedenti de duplici cessatione rationis vel finis legis, scilicet, contraria et negativa, hic etiam valde necessaria est, tum ut videamus an utraque locum habeat respectu integræ legis; tum ut explicemus per quam illarum desinat esse lex. Tunc ergo dicitur mutari contrarie objectum legis, quando propter mutationem materiæ, vel rerum seu circumstantiarum, fit ut sit injustum vel quocumque modo turpe servare legem, vel si fiat impossibile, aut saltem ita difficile et arduum, ut moraliter judicetur impossibile respectu totius communitatis, vel denique si fiat prorsus inutile et vanum respectu boni communis. Mutatio autem negativa erit, si in tota materia legis jam non inveniatur ratio, ob quam lex posita fuit, licet ea sublata, adhuc materia per se mala non sit, nec impossibilis, nec inutilis, aut injusta.

3. *Mutatio contrarie legis vigorem extinguit Augustinus.* — *Evidentia necessaria est ut lex vigorem suum perdat.* — Quando ergo mutatio fit contrarie in tota materia legis, nulla est difficultas, nec controversia; omnes enim fatentur tum legem ipso facto cessare, quia eo ipso incipit non esse justa; ergo incipit non esse lex, quia, ut sæpe ex Augustino diximus, lex injusta non est lex. Antecedens patet, quia lex de re iniqua, impossibili vel non conferente aliquid ad bonum commune est injusta et nulla, ut ex dictis in lib. 4 constat; sed per mutationem contrariam in objecto factam res præcepta incipit esse iniqua, impossibilis, vel inutilis, ut explicatum est; ergo si lex ulterius duraret, jam esset de re iniqua, ac subinde ipsa esset iniqua, aut esset injusta. Unde fit in hujusmodi eventu non esse necessarium ut princeps illam revocet ut licite possit non servari, neque etiam ut consuetudine tollatur: nam priusquam consuetudo introducatur, juste incipiet non observari: et ideo dixi ipso facto cessare. Hoc autem per se notum est quando incipit esse iniqua ipsa observatio legis, quia repugnat durare obligationem ad aliquid iniquum faciendum. Idem autem est si fiat impossibilis, quia ad impossibile nemo obligatur, et respectu communitatis sufficit quod sit impossibilitas moralis; ergo cessabit tunc lex ipso facto respectu communitatis; ergo etiam respectu singulorum. Eademque ratio est si fiat

materia inutilis et vana respectu boni communis; nam eo ipso fit incapax obligationis legis respectu communitatis, et consequenter etiam respectu singulorum. Oportebit autem ut talis mutatio universaliter facta in tota materia legis manifesta sit et evidens; nam in dubio semper lex retinet jus et quasi possessionem suam, semperque pro illius justitia præsumitur. Præsertim quia, quando mutatio non est evidens, et manifeste nota omnibus, signum est non esse tantam nec tam universalem, et ideo hic non videntur necessariæ aliæ distinctiones de majori vel minori dubio, sed simpliciter exigenda est notitia certa; satis vero erit quod ex publica et constanti populi opinione consurgat.

4. Solum ergo superest nonnulla difficultas quando ratio legis tantum negative cessat generaliter, videtur enim id satis non esse ut tota lex cesset. Primo, quia eadem videtur esse ratio et proportio totius ad totum quæ partis ad partem; sed cessante illo modo ratione legis in particulari, non cessat obligatio legis: ergo nec cessante in generali, tota lex perit. Secundo, quia cessante negative ratione legis, non constat statim cessare voluntatem principis: ergo non est necesse statim cessare legem. Patet consequentia, quia lex a voluntate principis habet suam efficacitatem ad obligandum. Antecedens autem supra probatum est, quia voluntas potest vel a principio pluribus rationibus moveri, et princeps potest præcipuam vel notiozem exprimere, et non omnes, vel certe potest voluntas in principio una ratione moveri, et deinde alia continuari, ut supra de tributis dicebamus. Tertio, quando ratio vel finis tantum negative desinit, adhuc potest lex sine peccato servari; ergo servanda est ex eadem obligatione donec revocetur. Antecedens ex declaratione terminorum supponitur. Consequentia vero probatur, quia tunc nullum est periculum in observatione legis, et potest esse magnum in illius transgressione, tum quia non potest esse statim certum voluntatem principis cessasse; tum quia possunt sequi magna moralia incommoda, si tanta licentia populo tribuatur. Denique pro hac sententia referri possunt auctores dicentes legem non cessare, licet ejus ratio cesset, quos in principio capituli præcedentis retuli.

5. *Cessante ratione legis quando cessat lex.* — Nihilominus communis consensus est cessante ratione legis generaliter seu frequentius in tota communitate, legem cessare. Ita censent imprimis omnes qui affirmant cessante ratione

legis in particulari, etiam negative tantum, cessare in illo particulari obligationem legis; nam a fortiori coguntur id dicere in universali, et ita possunt pro hac sententia allegari Panorm., in cap. *Quia plerique*, de Immunit. Ecclesiar. Ubi idem plane sentiunt Innoc., Anton. et alii capite præcedenti allegati. Clarius vero hoc docent Ledesm., 2, p. quarti, q. 17, art. 2, dub. 3, ad 4, et quæst. 18, a dub. 12, post secundam conclusionem, et dub. 14 post 3 conclus.; Covar., in 4, 2 p., § 9, n. 8, et in cap. *Cum esses*, de Testam., n. 9, ubi refert Fortun. de ultim. fin., illat. 15 et 16. Idem Castro, lib. 4 de Lege poenal., c. 5, docum. 3; Cajet. 2, q. 147, art. 5, et in aliis locis supra citatis, et communiter expositores D. Thomæ dicto art. 6, quæst. 96, in 1. 2, et Soto eodem modo loquitur; addit tamen limitationem quam expendere necesse est priusquam veram rationem et resolutionem ejus tradamus.

6. Dubitari ergo potest an intelligendum sit cessante ratione legis in universali, cesset lex ipso facto, ita ut possit a subditis licite non servari, nulla expectata principis declaratione vel revocatione, vel solum dicatur cessare, quia deficiente causa tenetur princeps legem tollere. Reliqui enim auctores (Soto excepto), licet punctum expresse non attingant, plane loquuntur de cessatione ipso facto. Et potest hoc confirmari, quia alias non esset hic modus peculiaris desitionis legis distinctus ab illius revocatione, sed ad summum assignaretur per hoc quædam legitima causa abrogandi legem; sicut possunt etiam aliæ plures assignari. Item quia pro fundamento sumitur, cessante causa cessare effectum, quod intelligitur de cessatione ipso facto, ut sumitur ex c. *Et si Christus*, de Jur. jur. Et ideo solet explicari de causa propria et adæquata a qua effectus in conservari pendeat, ut ibi Glossa sentit, et clarius Glos. in c. *Post translationem*, de Renuntiati., verbo *Cessante*, et in § *Sed sciendum*, post cap. *Statuimus*, 61 d., verb. *Causa*, in fine, et in c. *Quod pro remedio*, 1, quæst. 17, per textum ipsum. Dum autem hic loquimur de cessatione causæ, vel rationis, vel finis legis, de adæquata causa loquimur, alioqui non diceretur simpliciter cessare causa: ergo illa cessante debet ipso facto cessare lex, quia ab illa pendet tam voluntas principis quam utilitas legis. Unde si talis ratio a principio non fuisset, non posset lex juste ferri: ergo nec potest sine illa juste conservari.

7. Nihilominus Soto contrarium aperte sentit: nam in l. 4 de Justit., quæst. 6, art. 8, sic

ait: *Si in toto genere causa cessaverit, tunc et lex quoque cessare debet; verumtamen antequam princeps vel consuetudo illam abroget, vim suam non amittit.* Ubi loquitur clare de cessatione causæ negative; nam ea interveniente in particulari, negat sufficere ut obligatio legis in particulari cesset. Idem fere repetit in l. 3, q. 4, art. 5, ad 1: *Nam licet principi* (inquit) *incumbat illum mutare, tamen subditis non licet contra facere, dum jus naturæ id permittit* (utique quod erat per legem præceptum), *nisi iam esse inciperet contra ipsum.* Itaque, quamdiu ratio legis non ita cessat ut quod præcipit incipiat esse contra jus naturæ, non putat cessare legem ipso facto, donec abrogetur. Non declarat autem Soto quo fundamento ductus fuerit, insinuat autem quamdiu materia legis est capax obligationis tamdiu durare legem, nisi revocetur. Per solam autem cessationem rationis etiam in universali non fit materia legis incapax obligationis, quia potest non esse mala, et esse utilis reipublicæ, etiamsi fortasse non sit talis vel necessaria sicut antea; hoc enim non est satis ut statim per se ceaseatur lex ablata. Confirmari hoc potest ab incommodis, quia contra debitum ordinem est ut lex a superiori posita sine consensu illius non servetur, dum licite et facile servari potest; nam inde etiam scandala, et perturbationes vel fraudes in republica oriri possunt. Unde posset media via excogitari, nimirum, cessante causa vel ratione legis in universali, cessare quidem legem in se, ipso facto, nihilominus tamen non posse subditos licite incipere agere contra illam donec princeps declaraverit cessasse, quia ita expedit ad commune bonum, ad eum modum quo diximus in superiori libro poenam incurri sæpe ipso facto, ante sententiam vero declaratoriam non obligare.

8. *Duplex materia legis humanæ.* — Ut meam sententiam explicem, suppono ex supra dictis duplicem esse materiam legis humanæ. Quædam enim talis est ut, per se spectata, sit honesta et contineat actum virtutis, ut est præceptum jejunii, orationis, etc.; alia est materia per se indifferens, ut portare vel non portare arma, extrahere a loco has res vel illas, et similia. Et hinc oritur alia differentia inter ipsas leges; nam cum omnes leges humanæ constituent actum vel omissionem in aliqua specie virtutis aut vitii, ut supra visum est, quando materia legis in se et per se habet honestatem, per legem constituitur proxime in illa specie virtutis ad quam per se et intrinsece pertinet illa materia, ut jejunium ponitur in

specie temperantiæ, et omisso ejus intemperantia est, et sic de aliis. Et idem est quoties medium virtutis in tali materia potest per efficaciam legis constitui, ut est in lege taxante pretium; nam ante legem illud non erat medium justitiæ, postquam vero lege definitum est, in illo consistit medium, et ideo actus illius legis in specie justitiæ constituitur, et illius violatio injustitia est. At vero quando actus est indifferens de se, et a lege non præcipitur constituendo in illo intrinsecum medium virtutis, sed solum propter utilitatem ad aliquem finem extrinsecum, lex illum præcipit aut prohibet, tunc tota honestas actus ex illo fine sumenda est, et sub illa accipit propriam obligationem et necessitatem ex vi legis. Unde tamen fit ut in prioribus legibus finis extrinsecus materiæ præcepti nunquam sit adæquatus legi; nam semper intrinseca honestas et ratio virtutis habet rationem finis proximi et intrinseci; imo hic finis est per se sufficiens licet omnis finis extrinsecus cesset; at vero in posterioribus legibus finis extrinsecus est adæquatus, quia materia per se et propter se non est capax præcepti, sed tantum propter utilitatem in ordine ad aliquem finem extrinsecum.

9. *Lex præcipiens actum virtuosum non cessat, deficiente quocumque fine extrinseco.*—Dico ergo primo: lex præcipiens actum de se bonum, constituendo illum intrinsece in aliqua materia virtutis, non cessat deficiente universaliter quocumque fine extrinseco legis, etiamsi in illo genere fuerit adæquatus respectu intentionis legislatoris, et fortasse ita spectatus quod sine illo legem non tulisset. Probatur ratione facta pro opinione Soto, quia cessante omni fine extrinseco materia talis legis manet per se honesta et capax legis propter solum intrinsecum finem, id est, propter honestatem talis actus, et hic finis intrinsecus semper est intentus a legislatore, quandoquidem in tali genere virtutis constituit necessitatem et medium illius actus: ergo cessante quocumque fine extrinseco habet lex illa unde sufficienter subsistat: ergo non evacuabitur. Et confirmatur, nam (si attente res consideretur) tunc non cessat causa adæquata legis, nam potissima causa, finis et ratio quasi proxima illius legis est honestas actus; ergo non est cur cesset lex. Denique quamdiu durat materia præcepta cum sua ratione formali manet obligatio præcepti; quia (ut D. Thomas tradidit 1. 2, quæst. 100, art. 9, ad 2) aliud est quod legislator intendit præcipere, aliud ad quod intendit præcipere; unde sicut præceptum de se obligat ad primum et

non ad secundum, ita e contrario quamdiu durat primum, si in eo perseverat ratio sufficiens præcepti, durat præceptum licet finis extrinsecus cesset. Exemplis res declaratur; nam lex de jejuniis, licet feratur propter maccationem carnis et fingatur communitas non indigens illo medio ad illum finem, quia habet multa alia, vel quid simile, nihilominus lex jejunii obligabit, ut est certum; at si actus desineret esse actus temperantiæ, ut in casu necessitatis extremæ, tunc cessaret lex. Similiter si lex taxaret pretium tritici, quamdiu in illo permanet æquitas justitiæ ita ut non fiat evidenter inæquale, legis obligatio durat, etiamsi rationes omnes extrinsecæ vel aliæ utilitates cessent. Si autem ita res mutaretur ut quantitas pretii evidenter esset iniqua, cessaret lex, et sic de aliis.

10. *Cessante adæquato fine tam extrinseco quam intrinseco legis cessat lex.*—*Differentia inter legem et præcepta.*—Unde infertur si in tali lege cesset adæquatus finis tam intrinsecus quam extrinsecus tunc cessare legem; si quis tamen advertat, tunc cessatio finis non est tantum negativa, sed transit in contrariam, quia materia jam non manet materia virtutis, sed fit vitiosa, et ideo non poterit esse materia legis obligantis. Et signum est quod tunc non solum in generali, sed etiam in particulari cessabit obligatio legis in tali actu, vel materia ejus. Unde etiam fit ut tunc lex cesset ipso facto, sine alia revocatione vel declaratione, quia deest fundamentum ejus, nec potest ejus obligatio cadere in materiam inhabilem. Solet esse vulgare exemplum in lege imponente tributum ad certum opus vel finem, quo finito lex per se cessat, quia tunc non solum negative, sed etiam contrarie cessat ratio legis, quia ex tunc incipit tributum illud esse injustum. Quando vero non cessat intrinsecus finis, licet extrinseci cessent, sicut non cessat lex ipso facto, ita neque necessarium est ut debeat per principem abrogari. Quia materiæ honestas potest esse sufficiens ad sustentandam legem, nisi aliunde fieret lex nociva reipublicæ vel intolerabilis; nam tunc ex alio capite posset esse obligatio revocandi legem, imo etiam posset lex per se cessare, si nocumentum vel gravamen esset generale, et nimium, quia tunc non esset cessatio negativa, sed contraria, ut constat. Ultimo tamen adverto circa hanc assertionem sermonem esse de propria lege; nam si sit sermo de præcepto ab homine, et ex sola obedientia, sic fieri sæpe potest ut, cessante fine vel causa præcepti, cesset obligatio ejus,

etiamsi actus præceptus sit alias intrinsece honestus, ut jejuniis vel oratio, ut si superior præcipiat jejunare semel in hebdomada hoc mense, si constat præceptum imponi propter specialem necessitatem vel occasionem, et illa ante mensem finitur, intelligimus cessasse præceptum. Quia respectu illius præcepti tota ratio præcipiendi est finis extrinsecus, non extrinseca honestas, licet hæc supponatur; cujus signum est, quia transgressio talis præcepti non est intemperantia, verbi gratia, sed inobedientia; secus vero est in lege propria, per quam primo intenditur honestas virtutis sub qua actus quasi essentialiter constituitur.

11. *Lex præcipiens actum indifferentem, ob finem extrinsecum, cessante adæquato fine, cessat.*—Dico secundo: quando lex præcipit actum de se indifferentem, propter finem extrinsecum, tunc cessante in generali adæquato fine talis legis, per se et ipso facto cessat talis lex et obligatio ejus. Ratio est, quia tunc cessatio finis negativa transit in contrariam, quia facit materiam incapacem legis. Probatur, quia actus de se indifferens nunquam potest per se vel propter se præcipi, quia ut sic non est per se amabilis honeste, imo si ita fiat non honeste fiet, et, quod certius est, talis actus non est materia legis, nisi propter aliquam communem utilitatem, ad quam possit prodesse vel esse necessarius, præcipiatur. At vero, cessante fine legis in generali, actus ille necessario incipit esse inutilis ad commune bonum; ergo eo ipso fit incapax obligationis legis humanæ, ac subinde cessat ipso facto lex. Consequentia cum majori satis patent ex dictis. Minor autem est evidens ex hypothesi; nam ponimus cessare finem adæquatum propter quem præcipiebatur ille actus; non potest autem cessare ille finis, nisi vel quia bonum proxime intentum per illum actum desinit esse commodum ad commune bonum reipublicæ, vel quia ipsemet actus desinit esse utilis ad tale commodum: utroque autem modo fit ille actus inutilis et otiosus respectu communis boni, et consequenter desinit esse materia legis. Dices fieri posse ut, licet actus sit inutilis ad finem a lege intentum, ad alios fines utilis sit. Respondeo illud esse per accidens et materiale, quia lex non consideravit in tali actu nisi talem rationem commodi et publici boni, et ideo illa ablata non manet materia illius legis, et consequenter nec lex. Nam, licet actus possit esse utilis sub alia consideratione, de illo non est lex data illo intuitu, et ita illa utilitas

nondum censetur necessaria reipublicæ donec de illo actu illo intuitu feratur lex.

12. *Decretum principis non requiritur ut talis lex desinat obligare.*—Et hinc sequitur primo in hujusmodi eventu non esse necessarium decretum principis ut liceat non servare legem postquam sic cessavit, nam ipso facto desiit lex; solum ergo est necessarium ut de tali cessatione publice et manifeste constet per evidentiam facti generaliter noti in tali republica seu communitate, quia eo ipso quod lex cessat dicto modo non est lex; ergo ex se non obligat; ergo ut cesset cum effectu, respectu communitatis, satis est quod illi sit publice nota. Nec datur sufficiens ratio cur necesse sit expectare decretum principis, quia vel esset necessarium per modum revocationis; et hoc non, quia lex per se desiit; vel per modum authenticæ declarationis, et hoc etiam dici non potest cum fundamento, quia nec ex natura rei hoc est necessarium, nec in jure positivo invenitur illud esse specialiter præceptum. Neque in hoc debet cessatio legis cum poena comparari, quia poena est de se violenta et ab extrinseco illata, et ideo ex se requirit actionem et influxum judicis, nisi contrarium expresse per legem disponatur, et ideo non incurritur ipso facto nisi lex hoc declaret; et licet incuratur ipso facto, non excluditur sententia declaratoria delicti, nisi ubi lex illam excludit vel alias constat, quia semper est favor rei, quod non sit obnoxius poenæ donec condemnatur. At vero cessatio legis in illo casu non est violenta, imo per illam quasi restituitur respublica ad primum statum, et ad suam libertatem, et in favorem ejus cedit, et ideo nulla est necessitas talis decreti per modum sententiæ declaratoriae. Dices esse necessariam per modum promulgationis; nam hæc necessaria est in ablatione legis cum a principe revocatur. Respondeo esse diversam rationem; nam revocatio pendet ex voluntate principis, quam oportet omnibus proponi: cessatio autem legis, cessante causa ejus, non pendet ex voluntate principis, sed ex facto ipso, et ideo satis est factum esse omnibus notum. Ut si per legem fuit impositum tributum ad ædificationem pontis, et publice constat opus esse finitum et jam nihil in eo expendi, satis per hoc promulgatum est tributum cessasse, et sic de aliis. Sufficit ergo publica notitia et satis certa de generali cessatione causæ, et hæc ad minimum necessaria est, nec existimo sufficere ut uni vel alteri in particulari sit nota, quia donec lex cesset respectu communitatis non cessat